DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE X. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS PRAETORIUS
RHENANUS.

Opponentibus:
ED. EBBING, med. et chir. Dr.
JOA. HUERTER, med. et chir. Cand.
FR. BENDER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

SYNONYMA ET DEFINITIO.

§. 1.

Chlorosis nomen ducit a graeco verbo: *χλορίζω*, i. e. viresco, seu *χλόρος*, quod colorem ex viridi pallescentem aut pallidum, gilvum sive subpallidum denotat. Praeterea huic morbo multa alia sunt nomina, quae omnia, sicut vox chlorosis, non morbum ipsum, sed aliquod ejus symptoma, aut sententiam significant, quam varii medici de morbo sibi finxerant; talia nomina sunt: febris alba, virginea, cachexia virginea, morbus virgineus, febris amatoria, virginum obstructiones, icterus albus, gallice: pâles couleurs, la pâle maladie.

§. 2.

Chlorosis est morbus, praecipue circa pubertatis periodum infestans, qui proprio quodam cutis colore pallente sese manifestans, universa corporis infirmitate, digestionis perturbationibus atque apud sexum

sequiorem catameniorum defectu, aut parciore fluxu conjunctus esse solet.

SYMPTOMATA.

§. 3.

1. Color cutis pallidus, vel ex viridi pallescens, vel gilvus labiorum ac instar sacculi pendentis tumentium palpebrarum livor; cutis sicca, inflata, vel vere oedematosa; temperies diminuta, itaque frigus perpetuum, caloris desiderium, pallor omnium membranarum mucosarum.

2. Omnium musculorum laxitas, inertia, motuum tarditas, inexpugnabilis paene dormiendi necessitas; attamen, quantacunque adsit inertia, aegrotantes interdum vires miras exserere valent; laborantes vidi saltationes solemnes frequentare, per totam noctem saltare absque fatigatione, quae vero die postero eo major apparebat.

3. Tremor artuum, pedum frigus; motu corporis accelerato, praesertim sub scalarum ádscensu, spirandi difficultas, quamquam aegroti thoracem late extendere possunt atque e pectoris percussione et auscultatione nihil morbosi patet; anxietas, tremor cordis et palpitatio.

4. Pulsus parvus, mollis, facilis compresssu, semper plus minusve frequens, nonnunquam ad ictus 130 evectus. Mentio adhuc facienda est carotidum

pulsationis in hoc morbo, quam **Bouillaud** primus observavit atque chlorosis symptoma posuit pathognomomicum (1).

Ceterum congestiones, aut fluxus sanguinis periodici ex organis insuetis interdum, sed raro, apparent; **Carus** (2) narrat exemplum, ubi puella chlorotica, per plures annos circa tempus vernale, quamquam nondum menses aderant, fluxu sanguinis haemorrhoidario tentabatur.

5. Appetitus ciborum prostratus, sapor putidus oris, digestionis perturbationes, oppressio ventriculi, ructus, flatus post cibos vix degustatos, alvus saepius per tres quatuorve dies retenta; urina coloris

---

(1) **Bouillaud** (recherches sur les divers bruits du coeur et des artères. Journal hebdomad. 1833. t. XI.) dicit: chez certaines chlorotiques, les artères du col battent avec force; à l'aide de l'auscultation on peut y entendre un bruit de soufflet très fort, diffus, imitant le bruit de soufflet de forge, c'est le bruit de diable, si propre à cette affection, que je l'apelle: bruit chlorotique, comme étant le signe pathognomique de la chlorose. Ce bruit diminue comme la maladie; cependant il est de remarque qu'il se continue dans la carotide, lors même que le fer a été long temps administré, la chlorose presque guérie ou même guérie.

Le bruit de diable, quand il a lieu dans les deux carotides, ce qui est rare, est presque toujours plus prononcé dans l'une que dans l'autre, ou bien il est souvent intermittent d'un côté, ou continu de l'autre. D'autres fois, pour l'entendre, il faudra se garder de comprimer le vaisseau arteriel. En général, le bruit augmente, lorsque la tête est portée du côté opposé à l'artère qu'on ausculte; si l'on comprime avec le doigt l'artère au dessous du point où l'on pratique l'auscultation, le bruit cesse de se faire entendre.

(2) **Carus**, Handbuch der Gynäkologie. I. §. 215.

expers mingitur valde aquosa, procedente morbo turbida.

6. Menstruatio turbata; defectus mensium, si morbus ante pubertatis tempora oritur; menses autem, qui jam aderant, temporis, spatii, qualitatis et quantitatis ratione anomali evadunt; itaque menstruatio apparet irregularis, rara aut parcissima; sanguis est pallidi coloris et vel fluere desinit, vel guttatim fluit, multo cum muco mixtus. Cullen (1), qui chlorosin catameniis legitime fluentibus invadere prius docuerat, hanc opinionem vero serius deseruit, morbum chloroticum cum deficiente vel parciore fluxu menstruo necessario consociatum esse, affirmans.

7. Maestitia, animi conditio valde mutabilis, quippe quae nunc hilaritate, nunc tristitia, modo risu, modo fletu insigniatur, ita ut Germanorum proverbium: er hat Lachen und Weinen in einem Sack, de chloroticis recte dictum existimes; appetitus modo harum, modo illarum substantiarum; saepe aegrotantes rerum plane insolitarum, maxime insipidarum, desiderio capiuntur; calcariam edunt, cretam etc; — somnus inquietus, non reficiens; somnambulismus cum diversissimis pathematibus hystericis, maxima sensibilitas et alia ejusmodi symptomata; nonnunquam ingens coeundi libido. —

(1) Cullen: elementorum praxeos medic. edit. II. deutsche Uebersetzung. Lpz. 1789. 3 Bd. S. 273. u. sf.

§. 4.

Quibus signis superveniunt alia, quae ex chlorosis complicationibus cum aliis morbis prodeunt; talia sunt: morbi cordis, pulmonum tubercula, lienis morbi, scrophulosis, hydrops, mania, gastrosis, uteri degenerationes, febris hectica etc.

§. 5.

Non possumus, quin carmen, chlorosis symptomata ac menstruationis suppressae exprimens, recitemus; legitur apud Coules, cujus versus sunt hi:

Succedunt gravitas membrorum udique tumores,
Fertque suum corpus non patienter onus;
Succedunt placitarum olim fastidia rerum,
Ipsius et vitae nausea tetra subit;
Ulceraque et putres ruptis fornacibus ignes,
Et vomitus mixto sanguine terribiles.
Nunc labor atque uteri nequicquam pugna furentis,
Et mortes, anima mox titubante, breves.
Pectore tardus nunc domito vix spiritus exit.
Mox omnes artus tussis anhela quatit.
Ipsa etiam victor scandit capitolia mentis,
Et cerebri gyros occupat hostis atrox.
Hinc vigiles noctes, vigiles sed somnia terrent;
Veraque mens patitur dum mala, falsa creat.
Jactatamque diu serus vitam obruit hydrops,
Atque anima e mersa naufraga puppe natat.
Ah quoties verno gemmantes flore puellas
(Multi sagittifero jam maditante Deo)

Hic ferus exurit subita rubigine morbus!
Flet deceptus amor, tristis amatus abit.

AETIOLOGIA.

§. 6.

Chlorosis praecipue occurrit in terris ad septemtrionem spectantibus.

Plurimi autores ea sexum sequiorem solum corripi dicunt, ac quidem partim circa pubertatis periodum, partim primo post pubertatem tempore. Inveniuntur vero exempla, quae non solum ante pubertatem accedere morbum docent, sed etiam annis pubertatis diu praeteritis; bene reminiscor, in clinico paediatrico Cel. Barez docuisse, nuper obvium fuisse exemplum puellae, 12 annos natae, quae omnia chlorosis symptomata obtulerit.

§. 7.

Num chlorosis quoque apud potiorem sexum observetur, adhuc controversum est; autores, qui morbi nexum defendunt cum catameniis, hoc negant, alii vero viros quoque chlorosi corripi pro explorato habent. Sic Cabanis (1) plures pueros, chlorosi affectos, sese sanasse narrat, atque Ill. Schönlein (2) chlorosin exponens, quo loco de organorum sexua-

---

(1) Gardien, diction. des scienc. médicales.

(2) Schönlein's Vorlesungen über allgemeine u. specielle Patholg. u. Therap. II. S. 56.

lium functionum mutatione loquitur: »apud viros, inquit, similia inveniuntur; eorum genitalia ab evolutione prohibentur tum ratione physica, tum dynamica; pubes non apparet, testes manent exigui; nulla penis erectio, nullus geniturae fluxus; vox non mutatur.

§. 8.

Quod ad causam attinet proximam sive intimam autores proposuerunt opiniones maxime discrepantes, quarum gravissimas referamus.

Carus (1) causam imputat nisus formativi turbationibus, in vasorum systemate praecipue apparentibus et in sanguificatione; quae, cum pubertatis ineuntis aut paulo antea evolutae tempore concurrentes atque cum natura corporis muliebris propria gignant chlorosin.

Joerg (2) causam morbi proximam in nutritionis diminutione ponit, cui adjungantur oxygenatio sanguinis diminuta indeque uteri functionum perturbationes. Quae nutritionis diminutio, pergit Joerg, apparatus digestivi laboribus orta, ac consociata cum minore sanguinis oxygenatione, circa primos pubertatis annos facilius morbum gignat necesse est in corpore muliebri quam virili, cum in illo plus nutrimenti producendum et ad uterum sit deferendum, id quod, nisi digestionis organis integris, fieri nequit.

---

(1) Carus l. c. I. §. 216.
(2) Joerg, Krankheiten des menschl. Weibes. §. 216.

Cullen (1) chlorosis causam collocat in amenorrhoea, laxitate atque atonia vasorum uteri minimorum effecta.

Gottl. Richter (2) proximam morbi chlorotici causam tribuit nimis debili ac incompletae organisationi, quae nondum sit satis confirmata, ut magnos virium conatus sustinere, vel illa materie organica, ad excolendam sese et conservandam necessaria, carere possit. Alii causam putant uteri atoniam, ac quidem fere amenorrhoeam circa pubertatis tempora; attamen chlorosis quoque alio, quam pubertatis tempore cernitur; deinde haud raro exitus est largarum, copiosarum metrorrhagiarum; denique saepe puellae chlorosi vacant, quibus menses vel nulli sunt, vel maxime irregulares.

Sunt, qui morbi causam dicant systematis vasorum atoniam; alii accusant apparatus digestivi atoniam, alii sanguinem, cui ferrum aut cruor, superante sero desit; alii, inter quos Dupuy et Copeland eminent, temporibus novissimis causam inveniri tradunt in nervorum systemate, vel nervorum splanchnicorum vel nervi sympathici.

Demum haud desunt, qui chlorosis causam in digestione mutata indeque sanguificatione turbata atque sanguine imperfecte parato collocent. Mihi quidem haec sententia ob mutationes, quae non minus

---

(1) Cullen, Anfangsgründe d. pract. Arzneik. Leipzig 1739.
(2) Gottl. Richter, spec. Therap. Bd. 3. p. 785.

physiologicae quam anatomicae apud chloroticos inveniuntur, atque ob morbi curationem ipsam, non rejicienda esse, sed ad veritatem proxime accedere videtur, quare ut mutationes illas hic apponam, operae pretium est. Ill. Schoenlein (1), qui chlorosin morbis annumerat cyanoticis, mutationes refert sequentes:

1) mutationes in sanguinis et systematis vasorum natura: sanguis nimium tenuis est, difficulter coagulans; placenta mollis, facilis solutu; seri abundantia, albuminis et fibrinae copia diminuta; sanguinis color mutatus; non raro venarum dilatatio, saepe ramificationes inter venas arteriasque anomalae, substantia cordis saepe mollis;

2) mutationes temperaturae et quidem ejus diminutio;

3) mutationes coloris, et cutis et urinae;

4) mutationes secretionum naturalium: cutis secretio admodum parca, saepe suppressa, non minus intestinorum;

5) mutationes musculorum ac nervorum functionum; musculis enim non minus quam nervis ad motus vitales praestandos certa opus est sanguinis bene parati quantitas; ubi itaque sanguificationis anomaliae, ibi functionum quoque musculorum nervorumque perturbationes, et quo major sanguinis alienatio, eo ma-

---

(1) Schoenlein l. c. II. p. 35.

jor functionum musculorum et nervorum alienatio; musculi facile rumpuntur, molles sunt, pallidique, ita ut certe iis elementum, i. e. cruor, colorem rubrum efficiens, desit.

6) Mutationes respirationis ac digestionis; respiratio accelerata, brevis, laboriosa, dolens; qui labores crescunt quavis contentione, majorem sanguinis arteriosi quantitatem requirente; concoctio diminuta, appetitus aut minutus, aut magna voracitas, aut substantiarum insipidarum desiderium.

§. 9.

Chlorosi praecipue submittitur sexus sequior et quidem circa pubertatis tempora; ceteroquin ex intestinis laborantes, molliores, sensiliores homines; dispositio porro sistitur deformitatibus, seu conformatione organorum sexualium vitiosa; porro parentibus imbecillis, decrepitis, dyscrasia aliqua, ut scrophulosa etc., affectis.

§. 10.

Causae procatarcticae chlorosis sunt:

1) quoad alimenta: victus pravus, glutinosus, parum succi nutricii continens, plerumque e regno vegetabili depromptus; tum maxime abusus tuberum solani tuberosi, panis e secali paratus non bene tostus, viscosus, aut acescens, panificium pingue, caro putida, potus relaxantes, praecipue nimius infusi coffeae vel theae usus, cibi nimium irritantes;

2) aër vitiatus et humidus, materie sanguinis

solutionem efficiente, liquoribus, humoribusque impletus, tempestas humida, exhalationes nebulosae; labores in aqua continui, aestus refrigerio exceptus, domicilia obscura, humida, squalida, lumine solis carentia, immunda;

3) omnia corpus debilitantia: ut morbi qui sequuntur: haemorrhagiae profusae, fluor albus diuturnus, diarrhoea, graviditas saepe repetita, febres intermittentes, aut typhoideae, suppurationes copiosae, morbi cordis, lienis aliique multi; porro evolutio pulmonum manca, incrementum corporis praecox; porro lactatio infantium diutius protracta, sanguinis missiones ac purgationes importune tentatae, labores nimii, immundities, ignavia, vita sedentaria seu exercitationis defectus; vitae ratio mutata (e. g. si puellae rusticae, multis laboribus ac vitae laboriosae assuefactae ad urbem commigrant ibique vitam magis sedentariam agunt), somnus multus assiduusque, praecipue inter culcitas plumeas; passiones suppressae, desiderium rerum, quas assequi non licet, nostalgia, terror, sollicitudo, moeror et tristitia, imprimis amores, qui male cesserunt; nuptiae praematurae, venus praemature agitata neque satiata, onania, venus subito denegata, quae in consuetudinem adducta erat, quare saepius apud viduas juveniles cernimus chlorosin; tum vita perversa in urbibus, pervigilium, imaginationes, lectiones fabularum Milesiarum, consuetudo, quae multarum puellarum est, prono corpore sedendi

manuque victum conquirendi; molles modi musici cantusque et similia.

4) Vitia organorum sexualium organica: atresia oris uteri ac vaginae, evolutio uteri incompleta, degeneratio uteri vel ovariorum; denique menses deficientes vel parciores etc.

DECURSUS.

§. 11.

Neque stadia habet morbus, nec certo temporis spatio continetur; interdum, quod vero rarum, intra 14 dies absolvitur; plerumque per longius tempus perdurat, per menses, imo per annos.

EXITUS.

§. 12.

Morbus virgineus aut in sanitatem aut in alium morbum transit, aut morte terminatur.

1) Exitus in sanitatem: morbi symptomata paullatim decrescunt, pallor decedit, pulsus fit plenior, menstrua ex toto deficientia profunduntur, aut turbata redeunt ad normam; menses deficientes ita plerumque restituuntur, ut initio mucus solus, tum mucus cum sanguine mixtus, denique menstruorum sanguis effluat purus.

2) Exitus in alium morbum: in systematis ner-

vorum abdominalium affectiones graves, in varias hysteriae species, in melancholiam, nymphomaniam, in lienis indurationes, sterilitatem, in proclivitatem aboriendi, in cordis pulmonumque morbos, praecipue dilatationem cordis ac phthisin floridam, in hydropem et alios.

3) Exitus lethalis; mors vix unquam, nisi transitu in dictos morbos, inducitur; chlorosin ipsam rarissime sequitur.

SECTIO.

§. 13.

In cadaveribus hoc morbo exstinctorum, prout mors uno alterove morbo accedente est inducta, varia reperiuntur: variae imi ventris et pectoris degerationes, indurationes hepatis aut lienis, collectiones aquae in cavo pectoris vel abdominis, tubercula vel ulcerationes pulmonum, vitia cordis, uteri ovariorumque organica (1). In universum tamen post sectiones haec inveniuntur creberrima et fere perpetua: universa corporis laxitas, praecipue in cordis substantia crebro observata, sanguis pallido-rubens aut pallidus, aquosus, parum cruoris continens, neque firmiter

---

(1) Carus narrat (loco citato I. p. 165.), se in museo suo genitalia puellae, 17 annos natae, neque menstruatae asservare, quae chlorosis symptomatibus fuerit defuncta atque cuus uterus vix unius pollicis habuerit longitudinem.

coagulans, pallor musculorum marcidorum; aquae collectiones, indurationes ac intumescentiae lymphaticarum glandularum, genitalium deformitates paulo antea dictae.

DIAGNOSIS.

§. 14.

Morbus symptomatibus propriis facile cognoscitur ac distinguitur; obiter tamen spectatus cum his forte morbis confundi potest: cum pallore ac debilitate, quae convalescentiae e morbis gravibus sunt propria (hoc in casu morbus praecessit); cum pallore febribus intermittentibus proprio (adsunt hujus febris symptomata); cum hominum cachecticorum et male nutritorum languore; cum ictero viridi (hepatis affectiones adsunt); cum cyanosi (malum est congenitum, habitus cyanoticus); cum anaemia aut olighaemia (haemorrhagia antecessit); cum mensium suppressione et retentione (apud chlorosin omnes ad uterum congestiones desunt atque omnia sanguinis profluviorum signa).

§. 15.

Siebold (1) quinque discernit chlorosis species, quae sunt:

---

(1) v. Siebold, Handb. zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrht. I. p. 427. seqq.

1) species pura, quae primum ante catameniorum fluxum apparet atque evoluta sensim terminatur menstruatione;

2) cum mensium perturbatione: initio menstrua bene respondentia, deinde aliquamdiu nimis copiosa, denique tam large fluentia, ut statim debilitatio indeque paullatim chlorosis sequatur; haec species in aquae collectiones facile transit.

3) Cum congestionibus, praecipue ad caput ac pectus; aegrotae raptim creverunt, menstruorum turbationes quantitativae et qualitativae adsunt.

4) Cum status pituitosi et scrophulosis complicatione; haec species puellas invadit circa tempus, quo prima menstruorum molimina apparere solent; corporis evolutione parum provecta; complicationes facillime init cum pedum ulceribus, quae cicatricata affectiones inducunt pectoris et phthisi plerumque finiuntur.

5) Cum statu gastrico, qui alimentorum insolitorum cupidine praecipue excellit.

PROGNOSIS.

§. 16.

Plerumque hic morbus prognosin haud infaustam offert. Si chlorosis neque in alium morbum exiit, neque vitia organica imi ventris et pectoris effecit, nec vitia sexualium partium organica, quae operationem respuunt, nec alia vitiosa exstant, laeta est

prognosis atque aegrotantes convalescunt. Nonnunquam morbus matrimonio inito, vel rebus quibusdam faustis accedentibus tollitur. Si contra ob paupertatem et tristitiam perpetuam graves morbi occasiones auferre, et quod ad victum spectat, ad valetudinis recuperandae praecepta eum accommodare, si porro genitalium deformitates operatione tollere nequimus, si diathesis scrophulosa, aut complicationes cum aliis morbis adsunt, si morbus homines decrepitos ac nimium sensibiles adgressus est, prognosis mala est, ac chlorosis magis magisque ingravescit, si transitus in morbos supra dictos evenit; absolute est lethalis, si phthisis ei adjungitur.

Ceterum quoque anni tempora influunt in prognosin; itaque aestate multo faustiora, quam in hieme, qua morbus facile recidivus fit, praesagire licet.

CURATIO.

§. 17.

In variis sententiis, quas varii medici de chlorosis causa proxima prodiderunt, fundamentum est positum, cui variae curandi methodi innituntur; itaque ex mea sententia sanguificationis perturbationes imprimis sunt respiciendae, quia his sublatis aliae quoque perturbationes cessabunt; menstrua anomala vel huic curationi simul obtemperant, vel sua sponte corriguntur, vel curam poscunt propriam. Qua re

duae indicationes gravissimae in chlorosi curanda prostant: ut aptis medicamentis tonicis totum organismum cures atque, si opus fuerit, uterum ipsum. Diaetetice ac pharmacologia ad indicationes exsequendas nobis praebent medicamina.

CURATIO DIAETETICA.

§. 18.

Prae omnibus, ut causas procatarcticas exquirere atque removere studeas, necesse est. Quum vero plurimae morbi causae prodeant e ratione vitae perversa, a regimine vitae accuratissimo curationis eventus pendebit. Recte itaque Joerg (1) haec scribit: »In keiner Krankheit vermag das diätetische Regimen mehr als in dieser, und deswegen hat der Arzt selbes auch auf alle mögliche Art in seinem Curplane zu berüchsichtigen; öfters ist es sogar im Stande, die Krankheit, ohne alle Arzneimittel zu beseitigen;« atque his verbis non egregie a Siebold (2) dicta se adjungant: »Es ist daher eine von den wichtigsten Aufgaben für den Arzt, die Lebensverhältnisse der Kranken, ihre geistige und psychische Diät, ihre Umgebung, Verhältnisse, Wohnung, Geschäfte zu prüfen und sich zu überzeugen, ob sich nicht unter diesen eine oder die andere

(1) Joerg opere citato §. 222.
(2) v. Siebold opere citato I. §. 436.

Schädlichkeit entdecken lasse, und ob es nicht möglich sei, diese zu entfernen und von günstigeren diätetischen Einflüssen Gebrauch zu machen.«

§. 19.

Qua re ad indicationem causalem pertinent:

1) aër, quoad fieri potest, sub divo, purus, serenus, tepidus, siccus; si vero his conditionibus aegrotantes domi frui non possunt, eos ad agros, ad regiones altiores mittas; aër autem frigido-humidus nec minus conclavia humilia, vaporosis humoribus repleta, vitentur.

2) Vestitus, praecipue ventris ac pedum, neque nimium tenuis nec nimium calidus, nec constringens. Medicus non minus virgines, quam matronas, moribus insanis tam libenter indulgentes moneat, ne tali perversitate, quae in urbibus creberrime viget, opportunitatem ad morbos sanitatem evertentes sibi pariant. Quis enim est, qui non meminerit strophiorum cum sic dictis »planchettes pour rétrécir le bas ventre?« cui in mentem non venit colli et cervicis nudatio, vestibus saepe impudice excisis? cui non calcei pedibus minores tenuesque?

3. Victum pravum, glutinosum, e regno vegetabili desumtum cibis permutes e regno animali, qui faciles digestu, bonum succum nutritium praebent; talia sunt juscula carnis cum vitello ovorum, sago, oryza, caro assa leporina, gelatina animalis etc.; panis sit bene tostus, neque e secali sed e tritico con-

fectus; pro potu vinum generosum, cui aqua admixta est (imprimis post coenam aliquid vini rubri Burgundici), aut cerevisia amara exhibeatur; vitetur immodicus aquae, praesertim tepidae, usus, maxime potus Theae. —

4. Mundities, balneis calidis adjuta, quorum numerum atque tempus ex aegrotorum viribus metiaris.

5. Vita sedentaria vitetur, neque minus somnus nimius, praecipue inter culcitas plumeas; aegrotis autem suadeas, ut utantur motu temperato, viribus augescentibus magis magisque amplificato; qua re ambulatio, cura rei familiaris, hortorum, itinera exigua, vectura prosunt. —

Multi equitationem et saltationes commendant, quibus motibus vero nequidquam omnes aegrotantes ad salutem suam uti mihi videntur; iidem enim irritationes plurimis vitandas inducunt; itaque summa verborum ratio est habenda, quae Osiander (1) de hac re facit, dicens: equitationem, principum virginibus ad corporis motum saepius commendatam, paullatim irritationes, indeque molestam pituitae fluxionem efficere, quae virginum juventutem floridam, animi hilaritatem, vires et sanitatem, imo adeo interdum pudicitiam affligat.

6. Refectionem aegrotarum, nec non oblectationem per motus commemoratos, per musicen et collo-

---

(1) Osiander über d. Entwicklungskht. in d. Blüthejahren d. weibl. Geschlschts. II. S. 114 u. ff.

quia exhilarantia efficias; benigne ac clementer eas moneas, earum animi conditionem admodum variabilem patienter feras; omnes libros noxios, ut fabulas Milesiarum, avertas, aeque ac omnia aegrotis injucunda. —

Quod ad consilium, a multis imo jam Hippocrate propositum, matrimonium ineundi, ex mea sententia modo obtemperandum ei est, si amores morbi causam dederunt, aut venus subito denegata, si morbus adhuc novus est, neque gravis, nam in aliis omnibus casibus genitalium irritatio, coitu adducta non solum infirmitatem augere, sed adeo efficere potest mortem; quid enim e graviditate timendum, quid e partu? —

CURATIO PHARMACEUTICA.

§. 20.

Si neque novus est morbus, neque levior, cura diaetetica ad sanandum haud sufficit, sed plerumque medicaminibus utendum est, praecipue si morbns jam diu corpori insidet, si ad complicationes certasque causas est respiciendum, si lassitudo universa et atonia systematis sexualis summum obtinuerunt gradum.

§. 21.

Medicamen, in hoc morbo ab omnibus fere laudatum est ferrum, quippe quod non solum fibras ro-

borandi, sed etiam irritandi et sanguinis motum simulque cruoris copiam augendi virtute excellat; eidem vis fere specifica inest, uteri atoniam tollendi. Cum vero ad ferrum adhibendum diversis cautelis opus sit, haec praemittamus:

1. Ferrum contraindicatur, si energia ac vis vitalis excedunt, si plethora universa, congestiones, vasorum erethismus, status inflammatorius, febrilis, suppurationes internae, tubercula, organorum digestionis infirmitas, gastrosis exstant, vel effluviorum consuetorum tempus adest.

2. Ferrum est difficile digestu; itaque ut digestionis rationem habeas et organa digestiva ad ferri usum remediis aptis praepares, necesse est.

3. Ferrum ac ejus praeparata cum remediis amaro-aromaticis conjungi solent.

4. Initio doses ferri parvas praecipias, neque earum quantitatem celeriter augeas nec diminuas, et ferro per longius tempus utaris. —

5. Aegrotis ac propinquis faeces nigritiem adepturas esse dicas.

6. Ferri praeparatis mitioribus curam incipias gradatimque ad fortiora transeas. — Praeparata ferri mitiora sunt: tincturae: tinct. ferri pomata, — muriat., — cydoniata, etc., vina chalybeata etc.; fortiora: salia ferri oxydata et oxydulata, denique regulus martis.

7. Regimen diaeteticum bene modereris, corpus ambulando frequentissime exerceri jubeas.

8. Sunt, quibus martis usus vomitum inferat, alii, quibus dolorem ventriculi; tunc per aliquod tempus ferrum omittas, aut ejus doses minuas; alii quantitates ingentes ferunt.

§. 22.

Ad ferrum et praeparata ejus proxime accedunt aquae martiatae naturales, praesertim quibus acidum carbonicum inest; ex his vero sunt gravissimae ac celeberrimae: Pyrmontana, Driburgensis, Schwalbacensis, Bockletiana, Brückenaviensis; si autem ob paupertatem vel alias causas aegrotae ad thermas proficisci nequeunt, aquas artificiales simplicissime parare potes: leni calore enim ferri ramenta cum aceto in lagena digerens liquorem ad nonnulla balnea sufficientem obtinebis.

§. 23.

Si initio species chlorosis pura arte est curanda, sublatis causis functionum digestivarum atoniae opponas tonica mitiora sensimque fortiora, adjectis aromaticis; itaque absinth., trif. fibr., cent. min., millefol., angust., gentian., cort. peruv., etc. cum tinct. cort. aurant., chin. cum vino; stomacho roborato atque ad usum ferri praeparato, ferrum porrigas, cautelis supra memoratis bene servatis; qua re mitioribus ejus praeparatis dosibusque parvis incipiens ad fortiora

praeparata dosesque majores paullatim adscendas et iis amaro-aromatica adjungas.

Quibus medicamentis internis externe adjicias frictiones abdominis ex linimentis volatilibus, ol. sabin., ol. junip., tereb., bals. Peruv., ungt. Alth. cum camphora etc., nec non balnea cum herbis aromaticis parata adhibeas, inter omnia vero aquas martiatas naturales, de quarum efficacia Joerg scribit: »sie können Chlorotischen die wesentlichsten Dienste leisten; denn nicht allein die Wirksamkeit des Wassers, sondern auch der Aufenthalt an solchen Badeorten, die mannigfachen Zerstreuungen und Vergnügungen in denselben, die veränderte Lebensart und vor Allem das Zutrauen der Kranken zu der Wirksamkeit des Wassers sind geeignet die gewünschte Genesung herbeizuführen.«

§. 24.

Si menstrua nimium fluentia chlorosin effecerunt, acida mitiora cum tonicis mitioribus porrigas; v. c. inf. meliss., inf. menth. cum acido Hall., elix. vitr. Myns., deinde vero ferri praeparata leviora.

Congestiones ad caput pectusque si adsunt, methodo derivante utaris; itaque paucis sanguinis missionibus in cruribus, hirudinum et cucurbitularum sanguinearum ad femora applicatione, neque china, neque ferro; alvus semper sit laxa; congestionibus vero

(1) Jörg, loco laudato S. 227.

sublatis, ad cautum chinae, lichen. Island. seriusque ferri usum accedas.

In statu scrophuloso pituitoso cave, ne ulcera supprimas statimque chinam praecipias ac ferrum; prae omnibus dyscrasiam exstinguas; itaque antimonialia exhibeantur, aquae sulphuratae, ut Neundorfensis, deinde aquae soteriae alkalinae: Tepliciensis, Amisensis, Wiesbadensis; denique, dyscrasia exstincta, ferrum.

Complicationes gastricae varia expetunt remedia: sordes, in intestinis accumulatae, remediis idoneis sunt evacuandae; qua re pro intestinorum nisu sordes vel sursum vel deorsum evacuandi, maxime prosunt aut emeticum e. rad. Ipecac. aut laxantia mitiora: v. c. rheum, senna aliaque, minime salia media; si praeterea acidae rancidaeque materiae adsunt, absorbentia cum amaro-aromaticis, v. c. calam. cum magn. carbonica, infus. chamom., gei urban. cum natr. carbon., liq. kali subcarbon., aptissima videntur; denique si obstructione, induratione vel desorganisatione viscerum laborant, varia remedia resolventia, saponar., extr. chelidon., tarax. etc. sunt adhibenda; ubi vero cardialgia vexat, elix. stomach. Hoffm., tinct. theb., liq. C. c. succin. remediis addas.

Hydrope et aliis morbis accedentibus, remediis hos morbos expugnantibus utaris; ubi vero phthisis

pulmonalis supervenit, mala, quoad fieri potest, levare et vitam quam diutissime servare studeas.

§. 25.

Si, medicamentis martialibus adhibitis ac diaeta idonea, chlorosis profligata videtur, medici est, ut ad menstruationem animum suum advertat; itaque catameniis non apparentibus aut non legitime fluentibus, ad remedia menses evocantia confugiendum est; quae sunt aut sic dicta emmenagoga, ut crocus, hellebor. nig., sabin., aloë etc., aut incitamenta, ad genitalia ipsa vel circa ea applicata, ut vapores aromatici, fomentationes aromaticae calidae, frictiones siccae ac aromaticae, cucurbitulae siccae, electricitas etc.; aut denique sanguinis missiones, ut venaesectio in cruribus, cucurbitae sanguineae et hirudines circa genitalia applicatae; attamen summam circumspectionem sanguinis missiones reposcunt.

Ad quorum remediorum, menstrua pellentium, usum tempus maxime faustum est, quo natura ipsa molimina inducit; qua re naturae convenienter acturus et inutilia et noxia vitabis.

§. 26.

Si tali modo curatae chlorosis omnia symptomata cesserunt atque vires redire coeperunt, cura nequaquam finita, sed, quum morbus facile sit recidivus et infirmitas digestionis uterique facile remaneant, per aliquod tempus est continuanda.

VITA.

Natus sum ego, Carolus Henricus Praetorius, fidei evangelicae addictus, Duesseldorpii, a. MDCCCXV, patre Fridr. Praetorio, praefecto rerum medicarum in regia legione tricesima, matre Theresia, e gente de Pigage, quos vivos pio laetoque animo adhuc veneror. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Trevirense, quod directore Cel. Wyttenbach floret, per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonio munitus, autumno anni MDCCCXXXV almam universitatem Fridr. Guilelm. Rhenanam petii, ubi a rectore magnifico Ill. Freitag in civium academicorum numerum receptus apud Ill. Ennemoser, decanum ordinis gratiosi medicorum maxime spectabilem, nomen rite professus sum. Hae sunt, quibus per duos annos interfui lectionibus: logice et psychologia apud Ill. v. Calker; physice apud Ill. de Muenchow, chemia experimenta-

lis, phyto- ac zoochemia apud Ill. G. Bischof, botanice apud Ill. Treviranus, mineralogia apud Ill. Noeggerath, zoologia apud Ill. Goldfuss, anatomia universa apud Ill. Mayer et Ill. Weber, qui mihi quoque in arte cadavera secandi moderatores fuere, encyclopaedia et methodologia medica, pathologia generalis et specialis, nec non semiotice apud Cel. Albers, physiologia apud Ill. Mayer, therapia generalis et specialis apud Ill. Nasse, chirurgia et anatomia chirurgica apud Ill. Wutzer, materia medica apud Ill. E. Bischoff.

Tempore autumnali a. MDCCCXXXVIII. postquam ut reipublicae legibus satisfacerem, in cohorte secunda legionis tricesimae, duce optimo patre, chirurgi militaris munere functus eram, ad almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli, ibique rectore magnifico Ill. Müller, decano maxime spectabili Ill. Schultz, civium academicorum numero adscriptus sum. Ibidem per hoc tempus hisce scholis interfui: de anatomia universa Ill. Müller, de anatomia organorum sensuum Ill. Schlemm, de arte fascias rite applicandi Exp. Troschel, de anthropologia Cel. Ideler, de morbis systematis nervorum, pulmonum et cordis Cel. Romberg, de medicinae historia Ill. Hecker, de politia medica Ill. Wagner, de oculorum morbis Ill. Juengken, de arte obstetricia Ill. Busch, de operationibus ophthalmiatricis Exp. Angelstein.

Praeterea scholas clinicas frequentavi: Cel. Wolff, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Ill. Busch, Beat. de Graefe, Ill. Schoenlein, Cel. Barez.

Quos omnes viros praeclaros optime de me meritos et grata semper memoria et cultu prosequar sempiterno.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram facultate medica rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Nulla sine auscultatione et percussione morborum pectoris certa diagnosis.
2. Trepanatio statim post laesionem instituenda.
3. Medicus ipse praesens medicamentum.
4. In partus decursu perinaei sustentatio minime negligenda.
